Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

a pedibus tuis calciamentum. Similiter et locum istum sciatis sanctificatum esse usque in sempiternum. tempus enim resolutionis mee instat in proximo. et quod semper desiderabam dissolui et esse cum Christo. Hic tradite sepulture nostrum corpusculum. quia multa corporum sanctorum in hoc loco erit humatio. Cum hoc discipulorum auribus fuisset intimatum. omnes conuersi in luctum clamabant ore consono. Scimus quidem desiderare te Christum. et regnum percepturum esse ab ipso. nostri potius miserere quos peregrinatio obligat. Et cum uideret cunctos in lamento esse. lacrimabant oculi sancti. Dixitque. Nolite sic flere fratres. forsitan non erit ut dixeram cito. sed ut sciatis hoc esse in futurum. Dicunt autem discipuli ad magistrum. Eamus ad uisendum beatum dionisium cuius in dei rebus parisius inest militacio. Arripientibus autem eis iter. cepit eos edocere de futuro regno dei. de spe uera. de eterna gloria. de beatitudine sempiterna. de felicitate perpetua. de tranquillitate iocunda. de angelorum ministerio. de iustorum premio. de martyrum corona. de uita inconcussa. et de paradisi leticia. Et hoc ideo non ualemus comprehendere quanta in eo erat gratia. quam fuit in disertione prouidus. in tractatu profundus. per litteraturam eloquens. per uirtutes mirabilis. in operibus multiplex. in resolutione subtilis. astutus ut serpens. columbe mansuetudinem non amittens. Thesaurus diuine sciencie. fons liquidi. lux doctrine. fundator ecclesie. fugator prestigiorum inimici. plebem uelut apostoli conuertendo. Qui ipsum uelut solem fecit micare in mundo. nobis tribuat ueniam in futuro. Quia plurimas que ab eo gesta sunt uirtutes eius pretereo. sed redeamus nunc ad propositum. Cum peruenisset sanctus cum discipulis ad urbem miliario sexto. subito exilierunt filii belial de interiore nemorum. putantes pecuniam adesse cum ipso. Rapuit enim discipulos in diuisa. et cum ab eis inuenissent nichil audiunt dicentem sanctum. Apud quem queritis pecuniam? En habet meum. Moxque dimittentes ceteros. et tamquam ad agnum lupi aduolant ad laniandum. et pecierunt omnes ipsum. Discipuli enim absconderunt se in nemorum condensis. Rogabant enim inmanes bestie beatissimum. ut proderet eis eius pecunie sacculum. At ille profert eis aureum quem seruauerat unum ad uiaticum. Nam in usus pauperum consumpserat reliqua. Cum hec illico carnifices uidissent. putauerunt se derisos esse ab ipso. Et ecce unus inmanior ceteris produxit euagina gladium. statimque sanctus dei pallio a ceruice reiecto. ultro se prebuit feriendum. Tunc crudelis librante ense per medium sancti amputauit caput. Expoliantes corpus eius. nichil amplius repperit.

O quam quamquam ab ipso fuerat prolatum preciosa uulnera perque innumus hore momento. anima sancta migrauit ad astra. Quam iocundissimum bellum. per quod centesimum fructum sine fine recepit a Christo. Fluebant riui sanguinis preciosi compaunta trisolito. Talis enim uictima. non mortem sed sydera obtinet regna. O uirum ineffabilem. qui nec uictus est labore. et in morte laudabilis. Qui malens gladio concidi. quam de fratribus quemquam perire. Apparuit autem gloria Christi inibi. ut etiam ethnici cum pauore haberent recedere. Et ut discipulis latentibus non timorem uiderent incutere. et nunc flectamus articulum qualiter beatissimus Taraunus regressus est ad tumulum. Cum latitarent discipuli per opaca condensa. post transactum noctis initium. audiunt quasi